

906

gia ad id ipsum esse accommodata ; majores suos Pipinum Regem , suis paternique imperii opibus superbientem , in illis locis in quibus dimicandum esset , olim superasse : sed pro libertate ab illis pugnatum : sibi vero vitæ periculum bene pugnandi necessitatem imponere . Quia igitur si victi essent , moriendum sit , credere se nullum esse tam imbellem civem , nullum tam timidum , qui non malit , quem possit , honeste mori , quam turpiter captum , amissis omnibus , ab immanissimo hoste velut ovem jugulari . At virtutem suorum civium eam esse dicere , quæ , si totis viribus fuerit dimicatum , non solum Hunnicum ferrum e cervice civitatis valeat propulsare , sed difficili patriam liberare obsidione . His adhortationibus erecti animi , aut certe similibus ; nam in tam efferatum hostem sine aliqua vehementi oratione , atque eadem hortationum plena , territam multitudinem excitari potuisse , stultum est credere . Conferimus igitur ad defendendam libertatem , immo ad depugnandum pro vita , sese omnes accingunt . Interim Barbarus Rivumaltum versus moverat : cui Veneti in expeditissimas naves & ad pugnam idoneas conscentes , circa Albiolam occurrunt : atrox primo committitur prælium : varique fuerunt Hunnorum conatus , qui multitudine fretri non uno loco erumpere conabantur : contra Veneti omnibus locis illis occursantes , impigre eorum impetus sustinere . Pluribus diebus ancipiti Marte pugnatum : denique totis utrinque viribus in pugnam descensum : hic fusi fugatique Barbari , solutaque obsidione procul abeuntes inclytam victoriam Venetis reliquere . Nec multo post Berengarii muneribus capti (id enim fama tenet) Italia cesserunt . Ingens fuit Veneti nominis gloria post secundam illam circa Albiolam pugnam : illud in ore omnium esse , fregisse Venetos Hunnicam rabiem , cui Berengarius , homo impiger atque ob Italiam imperium tum præpotens , cessisset . Ipse Dux cuius auspiciis res gesta fuerat , magnificientissimis verbis absens ab eo laudatus est . His temporibus crediderim , catena & muro munitam civitatem a Tribuno Duce potius , quam piratico motu : quod Vene-

tarum

Vincunt
Hunnos
tandem
prælio na-
vali.